

A declarat viam animi angustiati, quæ tanta fuerit, ut ipsum corpus quoque inquietum reddiderit: vt fieri videmus apud eos, qui vehementi mœrore concutiuntur. Nunc cœlum, nunc terram spectant, nunc eunt, nunc redeunt, nec uno loco retineri possunt, quasi mente moti: nunc ad cœlum manus eiacylantur, nunc velut oculos intertas in sinum reponunt, nunc vociferantur, nunc tacite secum immurmurant. Tale quid sibi quoq; vsuuenisse indicat Propheta.

In eo quod tertio idem repetens exaudiri petit, idque statim Psalmi initio: admonemur, quod & Psalmo superiore, versu 1. annotauit, quanti nobis debeat esse promissa illa in Christo Patris benevolentia: qua sit, ut accessum habeamus ad clementes illius aures, ut cum fiducia queamus operi illius implorare. Quod enim hic David tanto serio petit, hoc nobis Christus pollicitus est, dicens:

„Petite, & accipietis, &c. Item: Amen dico vobis, quicquid petieritis, &c.

*Dum in prece mea circumferor & infremo.]* No andum est hic, quam & sancti speciem subinde praes. 18. Observ. 1. Matth. 7. & ferant impatientiae. Quid enim aliud spectantium oculis ingeritur, ubi vir orans mœrore correptus, vi commoti animi externo corpore ita iactatur, ut non procul à specie hominis mente commoti esse videatur? Cohibeamus ergo iudicandi temeritatem, ne statim damnemus affictorum. Voces, gestus, lamentationes, & si qua alia huiusmodi doloris ac mœroris vehementia extorserit, ne filios Dei condemnemus. Gestus Annæ matris Samuelis, tales apparebant sacerdoti Eli, ut 1. Reg. 1. Job 3. Hier. 20. ebriam & vino iudicaret: sed male Job dicebat: Maledicta dies, in qua natus sum. Idem & de Hiere. mah legitur. Vtrique viri Dei eximia suæ pietate & patientia prædicti, & tamen vehementiae mœroris ac doloris haec tenus cedere coacti sunt. Talis impotentia animi, vocis, suspiorum, euulatum, verborum, gestuum, sanctis ipsis displicet plurimum. Agnoscent enim ista imbecillitatem quandam carnis referre. Vnde & in mœrore constituti, secretos amant recessus, in quibus sese contra Domino liberè absq; ullo inspectore profundant. Annotata sunt ista in Scripturis, non ad vituperia sanctorum, nec rursus in hunc finem, ut talia imitemur: sed primùm, ne si tale quid nobis vnueniat, desperemus: deinde, ne horum gratia quenquam condemnemus.

## ALTERA PARS:

3. A voce inimici, à facie afflictionis impij: quoniam voluunt super me iniquitatem, & in ira odio me prosequuntur.  
 4. Cor meum trepidat intra me, & terrores mortis ceciderunt supra me.  
 5. Timor ac tremor inuaserunt me, & occupauit me pauor.  
 6. Et dixi, Quis dabit mihi alas sicut columbae? auolabo, & requiescam.  
 7. Ecce elongabor anfugiens, & commorabor in deserto. Selah.  
 B 8. Properabo ut proripiam me à vento euellente & disperdente,

*Et occupauit me pauor.]* Ebr. וְהַכָּנֵן בְּלִצְרוֹן Græc. & vulg. Lat. *Et contexerunt me tenebrae.* Hieron. Et os peruit me caligo. Felix: Et operuit me horror. Pagn. Et operuit me tremor.

*Properabo ut proripiam me.]* Versum hunc Græc. & vulg. Lat. sic reddunt: Expectabam eum qui saluum me fecit. à pusillanimitate spiritus & tempestate. Hieron. Festinabo ut saluer à spiritu tempestatis & turbinis. Sic & Iustin. Felix: Accelerabo fugam mihi à spiritu vehementi, à tempestate. Pagn. Festinarem eruere me, à vento qui fluctuat à turbine.

Hæc est altera Psalmi pars, quæ quasi narrationis voce obtinet. Exponit enim in quibus constitutus sit angustijs, & quid ab hostibus sibi intentetur.

*A voce inimici.]* Dixerat, Dum in prece mea circumferor & infremo: iam subdit, unde sit illa titubatio & tumultuatio. *A voce, inquit, inimici.* Vocem exponunt quidam minas, quidam vociferationē. Mihi videtur significare imminentem iamiam hostem, cuius quasi irruentis audiat vocem, & expuescat, ad quod fecit & quod subiicit: *A facie afflictionis impij: quoniam voluunt super me iniquitatem, &c.* Hæc causam exponunt, quam erga ipsum prætexebant impij. Intentabant illi crimen. Si de Saule 2. Reg. 27. exponimus, ille imputabat Davidi crimen ambitus, quasi regnum ambierit. Si de Absalom, is iniustitiæ patrem insimulabat, quasi iudicium & iustitiam populo non fecerit.

*Et in ira odio me prosequuntur.]* Ut intelligas, intentionem criminis manare non ex promerita vindicta & ira, sed ex odio immerito. Quod illud odium indignantium aduersum Dauidem impiorum fuerit, vide in historia Saulis.

*Cor meum trepidat.* Duobus hisce versibus exprimit cordis sui anxietatem, timorem, tremorem, pauorem. Auxilium habent ista בְּשֶׁרֶב. In medio mei, item terror mortis, quo non est vehementior ullus: isq; non simolex aliquis ac momentaneus, sed creber. Hoc est, quod pluraliter dicit, *Terrores mortis.* Et illud רְהַכָּנֵן בְּלִצְרוֹן, Et operuit me, & totum occupauit pauor.

*Quoniam voluunt super me iniquitatem.]* Duo queritur hoc versus præter persequitionem, de impijs Observ. 1. inimicis suis, in quibus expressum est ingenium impiorum, ut se habeat erga iustos & pios. Vnum est, quod odio & indignatione pios prosequuntur: alterum, quod mendacij & fictis criminibus illos grauare conantur. Non quod in se malum sit, odio quenquam prosequi, & criminis alicuius arguere: cum & Deus odio prosequatur operantes iniquitatem, & David perfecto odio impios prosequutus sit, & Joseph frates suos accusarit coram patre de crimine quodam pessimo, & Chri. Gen. 37. stus imputauerit sacerdotibus, scribis & Phariseis inultam impietatem. Et iusti odio prosequuntur impios & accusant & persequuntur: sed non immerito, nec quosuis, nec temere. Impij vero hæc committunt in pios præter omnem rationem, imò contra rationem, qua debebant illos magis amore prosequi, complecti ac colere. Quid in Dauide displacebat Sauli? Quoniam scilicet videbat Dominum

L 2 esse